

Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum,
quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in
tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiarvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

660. Qualiter computandus valor ille viginti quatuor Ducatorum, &
quænam computanda in fructibus, ut valor ille excedatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](#)

ratione mensium Apostolicorum, & Nuncius pro-
videre nequit beneficia aliter, seu reservatio-
ne aliâ, quam ratione mensû reservata. Castrop.
n. 26. Garc. n. 139. citans Ferret. conf. 17. n. 2. Cassad.
decis. 9. de prob. ac pricipiè Caputaq. decis. 85. p. 20
& Mandof. de sign. gratia. tit. de induito conferendi re-
servata. & reg. 32. q. 14. quamvis addat Garc. n. 142.
se vidisse in Episcopatu suo, Nuncium ea Sede va-
cante conferre. Perrò opus esse, ut exprimatur mensis
in provisionibus Nuncii, ait Garc. n. 134. citans
Mandof. reg. 34. num. 50. Crescent. decis. 10. de re-
script. Rotam decis. 206. p. 1. divers. eo quod regula
octava pricipiens hanc expressionem in provisio-
ne Apostolica procedat etiam in provisione facta à
Nuncio proper rationis paritatem, qua est, ne pra-
judicetur Ordinario. Negat è contra Castrop. loc.
cit. num. 18. eo quod hoc onus in facultate Nuncii
non impositum, et si impositum sit in provisione
Apostolica, extendi non debeat ad provisionem
Nuncii; cùm lex, irritatoria pricipiè, extendi
non debeat ad casum non comprehensum ob simi-
litudinem rationis, qua tamen etiam hic non est; et
cum Papa possit prajudicare Ordinariis gauden-
tibus alternativâ. Item Nuncius in provincia sua
melius cognoscet, quo mente vacarit beneficium,
quam Papa; cùm habeatur Nuncius tanquam Or-
dinarius.

8. Octavò, non poterit conferre, quorum valor
etiam in modico v. g. sexta parte excedit 24. du-
catos (qui modicus excessus aliâ admitti solet
ad excusandam malam valoris expressionem, ut
Mand. de signat. gratia. tit. de provis.) eo quod facul-
tas Nuncii restricta sit ad non excedentia dictum
valorem. Garc. num. 182. juxta expressam Rota
decis. in Calagur. Archipresbyteratus 13. April. & 20.
May 1587. quam verbotenus refert; sed & nu. 184.
ait, id procedere, etiamsi excessus non esset nisi
unius iulii. Poterit nihilominus conferre benefi-
cia simplicia seu præstmonia invicem unita, quo-
rum in simul fructus excedunt dictum valorem 24.
ducatorum, dum unio facta est aquæ principaliter,
si singulorum seorsim fructus non excedunt dictum
valorem; non secus ac conferre potest duo bene-
ficia separata, quorum singula non excedunt di-
ctum valorem, quamvis ambo simul excedant illum.
Garc. num. 145. Ea tamen conferre non poterit, si
unum alteri unitum est accessoriè per viam incor-
porationis; eo quod dicta unio operetur extincio-
nenem tiruli, & nominis beneficii uniti, & judicatur
prædium illius, cui sit unio, & sic unum tantum est
& efficitur beneficium, cuius fructus excedunt 24.
ducatorum; cùm & fructus beneficii uniti sint fructus
beneficii principalis, & in impetratio non est
opus exprimere unitum. Garc. n. 147. & 134.

9. Denique conferre poterit beneficia juris. p.
Eccl. non laicalis aut mixti, juxta ea qua dicta sunt
de Legato à latere, modò non excedant dictum valo-
rem. Garc. n. num. 243. similiter conferre poterit
exempta, ut dictum de Legato à latere. Garc.
num. 251.

Questio 660. Qualiter computandus ille
valor 24. ducatorum Auri de camera, &
quenam computanda in fructibus, ut valor
ille excedatur?

10. Respondeo ad primum: de valore ducati Au-
ri de camera dictum est alias, nempe quod
fit scutum aureum, & unus Argenteus, seu Julius;

circa quod notandum, quod alias in reservationi-
bus valor ducatorum, dum non additur de camera,
attendendus sit ille valor eorum currens in loco be-
neficii. Garc. cit. p. 5. c. 3. nu. 151. citans Gigas conf.
58. alias responso 49. de pens. Belenzin. de subfido char-
itativo. q. 89.

2. Respondeo ad secundum primò: non esse
computanda emolumenta incerta, v. g. funeralium,
& anniversariorum, quæ dotata non sunt, sed vo-
luntaria, eleemosynæque incertas. Castrop. loc. cit.
num. 6. Garc. num. 155. Secus est de anniversariis
fixis testamento vel donatione relictis habiliter
seu fundatis, & obligationibus consuetis; nam ea
emolumenta computantur in valore beneficii. Ca-
strop. ibid. Garc. loc. cit. citans Wamef. conf. 227. &
Suar. tom. 5. d. 2. s. 1. num. 30. Secus etiam est de
illis incertis, si solita sint locari singulis annis pro-
certa quantitate, aut aliter communiter redigantur,
seu redigi possint ad certam summam; per hoc
enim incerta ista redduntur certa, & sic computari
debet, saltem ut fructus seu distributiones ratione
personalis residentia percipi soliti. Garc. cit. n. 155.
citans Felin. in c. ad aures. nu. 14. Selv. p. 3. q. 9. n. 12. &
Cesar de Grassi. decis. 117. n. 12. & Rotam in Ma-
joricens. Capella, 15 Janu 1592.

3. Secundo non sunt computanda in valore be-
neficii emolumenta competentia Capituli
beneficiorum (qualia capitula clericorum dari
solent quandoque, quibus similia funeralium emolu-
menta, & plures missarum eleemosynæ inter ta-
les clericos capitulares dividenda, si divinis affi-
stant; & in qua capitula intrandi jus habet quilibet
talis, v. g. urbis propriæ beneficiatus, per se de-
serviens suo beneficio, ut Garc. nu. 158.) ista nam-
que non computantur, nec conceduntur ratione
& jure beneficii, sed capituli, & serviti illius,
quod est distinctum à beneficio, licet ratione be-
neficii habeat quisvis jus intrandi tale capitulum,
si velit, & ex admissione seu ingressu in illud ca-
pax fiat dictorum emolumentorum, dum perso-
naliter praesentes sunt; eo ipso namque paret, be-
neficium non concedere illis jus ad dicta emolu-
menta, sed solum afferre aptitudinem ad illa per-
cipienda, securis ac alias contingit in distributioni-
bus quotidianis inter canonicos dividendis; ha-
enim, quia ex canoniticibus extractæ sunt, sunt
fructus beneficiorum, & residentiam seu interef-
fentiam tanquam conditionem requirunt, ut per-
cipiantur. Castrop. loc. cit. Garc. n. 160.

4. Tertiò, probabiliter computanda non sunt,
sed deducenda stipendia missarum, ad quas per se
dicendas obligatus non est beneficiatus, sed potest
curari legi per alterum; sicut enim illa stipendia
obtinere possit legendo missas, quia tamen non
est obligatus illas dicere per se, non debent tan-
quam proventus beneficii, sed potius tanquam
fructus residentia & personalis laboris computari,
adeoque excessum valoris beneficii constitueret
non possunt; cùm non sint excessus per se annexus
beneficio, sed solum ex voluntate & labore benefi-
ciati. Castrop. n. 9. citans pro hoc Gurtier. qq. cans
1. c. 39. n. 68. Cesar de Grassi. decis. 18. & 20. &c
Garc. n. 166. qui tamen ibi solum astruit in ordi-
nare ad effectum regulæ de valore in ordine ad
quem computatur solum, quod beneficium valet
importare liberè, & in absentia ab Ecclesia, citare
que pro hoc quamplurimos. Econtra computanda
est hac stipendia missarum, ubi beneficiatus ob-
ligatus est eas legere per se ipsum; quia v. g. Ca-
pellani.

B b 4

pellania est sacerdotalis, & residentiam personalem requirens ; tunc enim stipendia correspondentia illis missis sunt verè proventus beneficij, competentes beneficiato ob hoc ipsius beneficij servitium. Castrop. loc. cit. citans Cassad. decif. 19. de probab. Garc. num. 169. id intelligens, etiam in ordine ad effectum regula de valore.

5. Quartò : in valore beneficij in ordine, ut illud conferre possit Nuncius, deducenda est pensio quā gravatum est beneficium , si ea perpetuò sit imposita beneficio, hoc est, néque cum vita pensionarii, néque cum vita beneficiati exspirans, ita ut is illud conferre non possit, si deducta dicta pensione adhuc valor fructuum excedat dictos 24. ducatos. Castrop. loc. cit. n. 11. Garc. n. 173. idem tanquam probabilius tenet Castrop. citans pro hoc Gigas de pens. q. 89. n. 1. (contrarium sententiibus Garc. n. 171. Belenz. de subsid. charit. q. 37. Puteo l. 3. decif. 202. & Rotà decif. 184. l. 3. q. 3. divers. apud Castrop.) nimur pensionem hanc reputandam adhuc onus perpetuum , ac proinde ex valore beneficij deducendum esse, ita ut, si illo deducto non maneat valor 24. ducatorum , cadat sub collatione Nuncii, dum imposita est ad vitam beneficiati, vel etiam pensionarii; eò quod satis perperum sit, quod non habet terminum alium à vita, juxta l. juris peritos. ff. de excusat. Tutor. & l. sufficit. ff. de condit. indeb. & Tiraq. de retract. conventionis. §. 2. gl. 1. n. 39. & quod valor beneficij desumendus comparatione beneficiarii , ita ut tantum censetur valere beneficium, quantum remanet beneficiario detractis oneribus : & licet pensionarius mori possit ante beneficiatum , ac ita remanere beneficiato fructus integri excedentes 24. ducatos; quia tamen etiam contrarium evenire potest, ut beneficiatus moriatur priùs , ratione hujus dubium censendum non sit, beneficium valere, nisi quod valer deducta pensione. Idem pari modo procedere tenet Castrop. tam in ordine ad regulam de valore exprimendo, quam in ordine ad collationem à Nuncio faciead am de subsidio, quod ex privilegio Papæ ex quolibet beneficio extrahitur in gratiam Regis ad quinquennium; eò quod, speccato stylo & communi cursu rerum , hoc onus est perpetuum, dum dicta concessiones in quinquennium solent continuari in perpetuum, & unā finita succedere altera, nec fit spes cessationis, contrarium sententiibus Put. & Belenz. ubi ante. Gomes. in reg. de exprimendo valore. q. 1. & 3. n. 169. Gamb. de off. leg. l. 6. nu. 169. apud Castrop. in quorum sententiam inclinat tantum Garc. n. 178. quatenus dicit, id in ordine ad effectum expressionis valoris probabile sibi videri ; admittere scilicet tamen id non audere in ordine ad effectum facultatis Nuncii, quae est restricta & limitata.

Questio 661. Vndenam constare possit, num valor beneficij excedat 24. ducatos in ordine ad hoc , ut Nuncius providere possit; siquidem singulis annis est fructuum varietas, & beneficium, quod uno anno longè superat valorem 24. ducatorum, alio anno illum non attingit?

1. Respondeo primò : minus rectè hujus argumentum sumi ex tribus, aut etiam quinque annis præcedentibus ; quia id spatium nimis limitatum videtur, ut inde valor ille colligi possit ; cum sepe contingat in tam brevi spatio fieri con-

siderabilem mutationē in fructibus. Castrop. n. 13. Garc. n. 219. contra Mandos. in reg. 22. q. 5. n. 2. & Malcard. de prob. concl. 1403. n. 48, qui 5. annos statuunt.

2. Resp. secundò: neque argumentum hujus valoris sumi posse ex quinque annis ante, & quinque annis post provisionem beneficij; Sic enim validitas gratia Nuncii erit in pendente, seu pendebit ex futuro eventu (nisi forte beneficium vacasset per quinquennium post priorem de eo factam provisionem) quia sic, dum confert beneficium, constare ei non poterit de valore, sed exspectandus erit lapsus quinquennii. AA. iidem contra Gurtier, l. 1. qq. can. c. 39. num. 68. Paris. de resign. l. 10. q. 2. n. 55. Leon. in Thes. fori Eccles. c. 22. Gomes. in reg. de valore. q. ult. quare

3. Respondeo tertio : valorem beneficij ex decem annis proximis præcedentibus gratiam, computato sterili cum fertili, desumendum esse. Garc. à nu. 229. variis id probans Rotà decif. Castrop. loc. cit. testans, sic observatum ex stylo Curia legem hac in parte faciente.

Questio 662. Penes quem sit obligatio probandi beneficij valorem, an penes provisum à Nuncio , an penes provisum apostolicum ; dum unus adversus alterum litigat?

R Espondeo : esse penes provisum à Nuncio unus probandi, quod beneficium sit infra valorem facultatis Nuncii, non obstante assertione Nuncii, & licet ab eo provisus sit prius provisus, & jam in possessione. Garc. n. 188. citans Felini in c. ad aures de rescript. n. 4. Gig. conf. 7. n. 5. Mohad. decif. 20. n. 1. de prob. &c. Castrop. n. 14. citans German. de indult. Card. §. ac irritum. à n. 27. eò ipso enim quod quis à Papa (utpote cui iure ordinario & reservationis omnes provisiores competunt) provisus sit, habeat intentionem suam fundatam, qualem non habet provisus à Nuncio ; cùm is sit extraordinarius , & delegatus collator : debet proinde fundare intentionem suam in alio, quod aliter facere nequit, quām probando beneficium contineri sub facultate Nuncii, adeoque probando non excedere valorem illum 24. ducatorum, alias succumbet, & deponetur. Adde, quod provisus à Nuncio, dum gratiam imperat, narrare necessariò debet, beneficium illum valorem non excedere, in qua narratione, cùm fundetur gratia à Nuncio facta, tenetur narrativam illam verificare, præsternit dum contradictem habet. Castrop. loc. cit. Nec obstat, quod Nuncius obligatus sit prius valorem beneficij explorare, ut gratia facta teneat, adeoque dum is de valore beneficii testatur, ei sit credendum, quamdiu contrarium non probatur; utpote de quo præsumendum, quod bene se desipit informarit. Nam licet exinde provisus à Nuncio habeat intentionem suam formatam, dum non excipitur: attamen, cùm à proviso apostolico, vel Ordinario contradicatur, hāc exceptione stante, eger novo fundamento; eò quod concurrat cum illo proviso apostolico, vel Ordinario habente fundamentum firmius, utpote à iure communī inductum , & sic prævalens contra fundamentum, quod habet provisus à Nuncio. Castrop. loc. cit. Verumtamen etiam, cùm provisus apostolicus reneatur exprimere valorem beneficij, quia est fundamentum gratia sua; adeoque ut gratia justificetur, hic maior probandus sit, dum nimur in sup-

plica